Quaestio medica Cardinalitiis agitanda disputationibus, In Scholis Medicorum die Jovis 21 aprilis,

Moderatore D. Yvone Marchant D. medico Prudentissimo.

An etiam Cacochymis vena sectio, Plethoricis Purgatio?

Morbi et sanitatis praecipuae causae sunt humores, qui et quantitate et qualitate pro cibi potusque, nec non exercitationis aliorumque modo varient. Quo fit ut aliquando majore copia, interdum aliena qualitate, nonnunquam utraque ratione toto corpore superfluant. Hinc non solum gravissimi, sed etiam repentini morbi saepe oriuntur, putrescentibus humoribus, aut affatim confluentibus ad glandulas pulmonum, renum, cerebrum aliasque partes, ut quaeque laxa vel imbecilla magis fuerit, aut quadam alia ratione ad fluxiones recipiendas comparata: cujusmodi est illa quae ex gravi quodam ictu vel dolore laborat. Haec nempe trahit e reliquo corpore moderatis etiam humoribus praedito, nedum ex plethorico vel cacochymo.

Plethoricum affectum indicant tensio, gravitas, venarum tumor, pigritia, color et arteriarum motus. His adjungere licet excretionum suppressionem, vitam [illegible] et victum liberaliorem. Cacochymiae species etiam ex colore deprehenditur, si modo humores intro non recesserint. Quod accidit tum propter affectus animi, tum propter frigus aut calorem externum. Alioquin conjectura capienda est ex victu, anni tempore, aetate et morbo.

In utroque affectu accommodatissimum est remedium evacuatio, quae alias medicamento purgante, alias venae sectione perficitur. Venae sectione aequabiliter evacuantur omnes qui in venis conditi sunt humores. Medicamentum purgans in primis humores sibi familiares similitudine substantiae prolectat, sicut extra corpus rapit, deinde etiam reliquos ordine sanguinem quidem omnium postremum: cacochymum vero, priorem eum qui vitiosus fit. Utrumque remedium certe [illegible], sed venae sectio magis, quam purgatio. Natura satis commode vacuari potest, nisi morbi urgeat magnitudo, viresque subsint validae.

Cum haec adsunt vel affutura putantur, nihil potest omnino prohibere quominus vena sectio, aut vel purgatio, vel utraque sit instituenda: sed praeterea tamen alia quaedam modum utriusque remedii usurpandi ostendunt. In his praecipuae sunt corporis et aeris ambientis constitutiones. Magnum morbum efficit partis praestantia, vel affectus magnitudo, vel ipsius malitia. Venae sectio purgationi praemittenda, in quibus utraque opus est.

Et venae sectio, itaque purgatio non solum vacuandi, sed revellendi quoque et derivandi gratia commode adhibetur. Vacuatio eorum est quae immodice [illegible], per loca convenientia quae praeter modum fluunt, ad partes vicinas derivanda aut ad oppositas revellenda.

Ergo etiam Cacochymis vena sectio, Plethoricis Purgatio.



Ponebat Petrus Du Chemin Baralbanus. 1575.